



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 48. Suppetiæ a Scanderbego hortatu Pontificis Ferdinando transmissæ

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV.  
A.C. 1461.

## §. XLVIII.

*Suppetiæ a Scanderbego hortatu Pontificis Ferdinando transmissæ.*

*Gobelin.  
comu. Pii II.  
l. 6.*

Interim, Pontifex cum in regno Neapolitano Ferdinandum assidue tueretur, Scanderbegum Albanix Principem, qui Turcarum terror erat, admonuit, ut cum Mahomete inducias pacisceretur, ac Neapolis Regi adversus Calabriæ Ducem suppetias ferret. Igitur Scanderbegus cum septingentis equitibus, ac nonnullis peditum legionibus in Italiam navigat. Adventantem Ferdinandus in grati animi signum Apulix, quam olim pro more suo strenue propugnauerat, Præfectura auxit. Cum vero Scanderbegus intelligeret, quod Mahometes, violata etiam induciarum fide, crebris excursionibus Albaniam devastaret, rupta omni mora ad sua reversus est; verebatur enim, ne, dum aliena tueretur, perderet sua. Nihilominus Ferdinandus obstrictum se Scanderbego profitebatur; sine ejus enim auxilio vel ad turpem fugam vel ad dubii certaminis discrimen compulsus fuisset. Interim vero idem Rex suis partibus opportune adjunxit Nobilem Contigliam, cujus Filiam Masconi in conjugem dedit, ejus autem Maritum omnibus, quas olim ceperat urbibus auxit

xit, simulque Castrovillarizæ Ducem crea-  
 vit; Contigliæ vero, sub certis concor-  
 diæ legibus, Marchionatum Coteronen-  
 sem restituit. Unde Calabriensis Ducis  
 factio tam suorum numero, quam poten-  
 tia plurimum decrevit.

## §. XLIX.

*Bellum Castellanorum cum Mauris.*

Sub idem tempus recruduit belli furor  
 Castellanos inter & Mauros. Mule-  
 jus enim Hacem, qui Ismaelis Granna-  
 tensium Regis Filius erat, pacis otium  
 pertæsus, incio Patre suo, quindecim  
 peditum, ac Equitum quatuor millia col-  
 legit, atque his copiis auctus, in vicini-  
 ores Esteponæ ditones populabundus ir-  
 rupit, secumque innumeros ferme Chri-  
 stianos in duram servitutem abstraxit.  
 Comperto vix tumultu, Prætores urbium,  
 quæ ad fines regni sitæ erant, quan-  
 tocius conscensis equis Mauros inse-  
 quantur, cuncta eis spolia diripiunt, at-  
 que captivos liberant. Ismael sive re-  
 rum ignarus esset, sive ignorantiam si-  
 mularet, Filii sui temeritatem missis ad  
 Castellæ Regem oratoribus, excusabat;  
 Rex tamen illos ad alloquium nequa-  
 quam admisit, sed adversus Mauros bel-  
 lum paravit.

§. L.